

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Senectus z  
cum fonte primo

Molestum est, inquis, mortem ante oculos habere. Primum ista tam seni ante oculos debet esse quam iuueni.

Deinde nemo tam senex est ut improbe unum diem non speret. Vnus autem dies gradus uite est;

unus autem dies par omni est.

Seneca ibidem (epistola XII.).

'Molestum est' inquis 'mortem ante oculos habere.' Primum ista tam seni ante oculos debet esse quam iuueni (non enim citamur ex censu); deinde nemo tam senex est ut improbe unum diem speret. Unus autem dies gradus vitae est.

Tota aetas partibus constat et orbes habet circumductos maiores minoribus: est aliquis qui omnis complectatur et cingat (hic pertinet a natali ad diem extremum); est alter qui annos adulescentiae excludit; est qui totam pueritiam ambitu suo adstringit; est deinde per se annus in se omnia continens tempora, quorum multiplicatione vita componitur; mensis artiore praecingitur circulo; angustissimum habet dies gyrum, sed et hic ab initio ad exitum venit, ab ortu ad occasum. Ideo Heraclitus, cui cognomen fecit orationis obscuritas, 'unus' inquit 'dies par omni est'.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium epistulae morales*, 12, 6-7 (L. Reynolds ed., vol.1, p.27, ll.12-25).